



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Difficultas II. An jus sit designatio Juridica terminorum libertatis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

quod suum. Tum quia, in expositorio à nobis posito, in Majori ponitur pro prædicato definitum, in Minori definitio: Jam autem motus alæ sinistrae cum motu alæ dextrae, non sunt sicut definitum & definitio: Ad defendendam rationem secundam propositam, & pernoscentiam vim expositorii; legantur dicta in 1. Parte disp. ultima n. 21.

RATIO 2. Id est definitivum juris, quod adhibent legitime omnes ad explicandum jus, sed Ly, quia hoc, suum est, adhibent omnes legitime ad explicandum jus. Quod probatur Inductione. Et ita si aliquis perdat librum, inventori dicit, redde, non habes ad hoc jus, meum, non tuum est &c. Ergo apparet legitime quod suum est adhiberi ad explicandum jus.

RATIO 3. quia prædicta definitio, omni, soli, & semper juri convenit: procedit per prima: & reliquæ explicationes ad hanc revocari possunt tanquam ad aliquod prius: verbi gratia, tenet hæc illatio: hic præferri debet in habenda hac re. Ergo illa, sua est, bene item arguo, suum est. Ergo sequitur, ut possit hoc cadere sub legitimam illius dispositionem, deposceret Ly suum, dispositionis libertatem, per modum proprietatis ad id quod suum est. Ergo sequitur, ut sine injuria, non possit auferri. Imò ex ipsa expletionem suo superabundanti indigentia alius, tenet tanquam ad superius, consequentia. Ergo hoc suum est. Licet explicatio per indigentiam sit cæteris magis resolutiva formalitas, proximiusque ad præsentem accedens. Si autem cætera sententia in hanc resolvuntur, hoc ipsum illi præ cæteris adfert probabilitatem.

DICES 1. Ly Ratio, est terminus nimis Genericus.

RESPONDETUR id non obstare, cum non possit adferri genus inferius, præcipue cum ipsum jus nimis latè pateat. Ly autem Ratio, debet hic sumi pro objectiva formalitate, non autem, pro formali, seu actu intellectus.

DICES 2. De hoc ipso quæri, quare hoc quidem suum est?

RESPONDETUR. Quæri quidem, sed ad hoc ulterius responderi non potest in linea justitiae per aliquid prius: per quid enim? sed fiet non nisi inductio mera, exemplificando jus in hereditate, emptione, distributione &c.

DICES 3. Hoc, quod est aliquid, esse suum, potest accipi, pro affectione amoris, pro suo, ratione superioratus v. g. est suus, hoc est subditus. Ergo Ly esse suum ambiguum est.

RESPONDETUR. Ly suum dictum de amico vel subdito, nunquam absolute significat, sed cum addito expresso vel tacito: quia incluso in aliquibus circumstantiis, & ita, si quis complectens alium, dicat, meus est, supponitur pro, amicus; circumstantiæque amicitiam significant. Si quis Prælati interrogetur, qua-

retam liberè mander? respondebit, meus est, sed ipsæ circumstantiæ supponunt pro subdito, & significant eundem æquivalenter. Jam autem sine ullo addito sufficit in justitia dicere, suum est; quale sine addito suum ponitur in definitione. Denique in explicando esse id suum, in aliis materiis semper recurretur ad titulum, qui res ipsas non dicit, sed affectiones, ordines voluntatis, adeoque non justitiales titulos. Jam autem esse suum justitiale, semper ex rebus sumitur, recurrendo & involvendo medium rei, quod est nota justitialis.

DICES 4. Hæc explicatio solum ostendit, quid sit jus, & non, quæ res sit jus.

RESPONDETUR. Quid sit & quæ res sit, non distingui in explicatione formalitatum universalium: cum ipsæ, non sint demonstrabiles in se. Unde suffecerit, quæ res sit jus, solum in individuis demonstrari, nempe est emptio hæc, distributio hæc &c.

DICES 5. Nemo hanc sententiam docuit.

RESPONDETUR. Docuisse S. Thomam ex Ulpiano in definitione justitiæ innuereque illam Esparza & Dicastillo.

DIFFICULTAS II.

An Ius sit designatio Iuridica Terminorum libertatis?

DISCUTIENDA hic est explicatio juris, quâ utitur Antonius Perez.

PONEBAT 1. Totam hanc difficultatem in duobus consistere. Primo. In exponendo genere boni; quod adfert justitia, & aufert injustitia. Secundo. In exponendo fundamento colligationis justitiæ.

PONEBAT 2. Bonum, quod adfert justitia, non esse bonum v. g. pecuniarum, famæ, &c. sed bonum libertatis, arbitrii, ut potentis dirigi per prudentiam monasticam, ad suam felicitatem liberam. Dicitque hoc per se patere: constat enim bonum debitum per justitiam, esse suum, seu illius, cui debetur; nihil autem dicitur esse suum propriè, nisi per respectum ad dominium, ad libertatem. Unde nec quælibet actio, elicit ab homine, vocatur humana: sed non nisi libera: quia non nisi libera actionis dominium habet.

PONEBAT 3. Inter partes felicitatis præcipuam esse cognitionem veram: quia miseria illi contraria, cognitio falsa, omnes infelicitatis partes adfert, errorem, gaudium falsum, denique dolorem, vel inquietudinem; hinc impedio etiam scientiæ veræ, erit injuria, quam injuriam facit peccator, non consentiendo gratiæ oblatae, per quem dissensum, impedit, ne sciatur consensus gratiosus à Deo. *His positis*

INFE-

INFEREBAT. Quod bonum, quod nobis tribuit iustitia, sit bonum libertatis, non impeditur per alienam libertatem, utentem vel fraudem, vel impeditione scientiæ, ab executione electionis rationabilis & prudentis, secundum prudentiam Monasticam. Ut autem explicaret originem obligationis iustitiæ.

PONEBAT 4. Originem obligationis iustitiæ, nihil aliud esse, nisi designationem non plus onerantem, quam faventem, designationem inquam, terminorum libertatis uniuscujusque pacto expresso, vel præsumpto factæ, eo fine, ut unusquisque securè à vi, fraude, impeditione, possit sua prudentia monastica uti, exequendo id, quod sibi per electionem prudentem rectum videbitur.

PONEBAT 5. Designationem juridicam, triplicem esse. Primam materiale, ex ipsa re in natura cognoscibile, quæ præcedit omne pactum, & legem positivam. Aliam legitimam constitutam lege. Tertiam ex pacto & contractu. *Hinc*

INFEREBAT. Rem suam alicujus, esse eam, cujus possessio, ipsi debetur obligatione iustitiæ instituta in gratiam, & favorem ipsius, tanquam finis, non servientis utilitati alienæ, sed suo arbitrio, & monasticæ prudentiæ relictæ. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT PRIMO, quoad substantialia doctrinæ. Tum quia, non rectè explicatur jus per designationem juridicam, cum ipsa ignoretur juridicitas, quid sit, quærendoque, quid sit jus? quæritur de ipso, quid sit juridicum? Tum quia, per Respondentem, rem esse suam, est esse rem, cujus possessio debetur obligatione iustitiæ; hoc autem videtur esse circulus: quia si quæritur, quid est jus? respondetur, quod facit esse suum obligatione iustitiæ. Si quæritur, quid est obligatio iustitiæ? respondetur, quæ est ex jure, in circulum: ignorato enim uno correlativo, ignoratur & aliud. Tum quia, non rectè explicatur jus per hoc: quia illi opponi, est facere injuriam. Ergo, nec per hoc, quia inducit obligationem iustitiæ, eò quod ignorant jus, & injuria & iniustitia sit ignota. Imò rectius per injuriam explicaretur: contraria enim, penes se posita, magis elucescunt: eo quod ea, quæ se heterogeneæ quodammodo habent, vel ipsa diversitate specierum juventur ad excitandas plures species obsectorum, deservituras ad rei notitiam fabricandam.

NON SATISFACIT 2. Attendendo ad principia, quæ assumit. Tum quia, quod libetimus, hoc à natura habemus, sed quod libertate circa hoc vel illud uti possimus, est ratione tituli in illam rem, de quo quæritur, quis sit ille? Tum quia, negatur per se patere, quod bonum: quod adfert iustitia, non sit etiam in rebus, sed in dominio non nisi circa res: si enim

bonum, quod intendit iustitia, est medium rei: quomodo hoc bonum, non erit situm etiam in rebus? Tum quia. Concedo quidem; quod aliquid dicatur suum per respectum ad dominium; sed nego etiam res, non dici suas, circa quas, ipsum illud dominium versatur. Tum quia. Concedo quidem quod solæ actiones liberæ dicantur humanæ, sed nego, quod solæ liberæ, sint suæ: si enim aliæ actiones sunt hominis, quomodo non suæ? Tum quia. Aliud est libertas, aliud & iustitia. Ergo & bonum, seu objectum utriusque erit diversum. Ergo bonum iustitiæ, non erit bonum libertatis. Tum quia. Immeritò assumitur, iustitiam procedere secundum prudentiam Monasticam; cum procedere possit, etiam secundum prudentiam Politicam in distributionibus: Tum quia, immeritò assumit omnem universaliter errorem adferre secum inquietudinem: hæc enim non habetur in hæretico materiali, qui suum errorem, possidet bona fide.

NON SATISFACIT 3. Attendendo ad prioritates & formalitates rationis. Tum quia. Quando ego habens jus designandi, designo, ut hoc huic detur, prior est mea designatio, quæ est causa juris in alio, quam jus, quod est effectus. Ergo, per designationem non rectè explicatur jus: nam hic non quæritur de causis juris, quasi effectivis; sed de prædicatis, quasi constitutivis.

Neque valet si dicas, designationem activam esse causam juris, sed non designationem passivam. Contra erit, quia hoc ipsum non est expressum, & urgent alia argumenta allata & adferenda. Tum quia. Designatio hæc, ut vocatur passiva, concipienda est per modum posterioris ipso jure: quia etiam designatio, quæ Petrus designat, ut hoc huic debeat, supponit jus in Petro. Deinde, ex modo nostro concipiendi, non ideo ego habeo jus, quia hi sunt termini meæ libertatis circa hoc: sed ideo habeo hos terminos, quia habeo jus: sicut, non ideo, quia hi termini sunt meorum agrorum, ego habeo jus ad illos: sed ideo habeo hos terminos, quia habeo jus. Ergo & in præsentī, idem dicendum, effluetque potius designatio terminorum ex ipso jure; sicut in physicis ex quantitate provenit habere tantos terminos, & non ex tantis terminis quantitas. Si autem hæc designatio est quid posterius. Ergo juris explicativa non est; hic enim quæritur explicatio: per prima. Tum quia, designatio, si non sumatur inductivè, juris in alium, nihil aliud formalissimè est, nisi ipsi termini libertatis; termini autem libertatis utendi, sunt quid negativum, sicut & termini quantitatis. Si autem termini libertatis sunt quid negativum juris, & non formalitas positiva, primò essentialē conceptum non expriment; quia negativum, non est de primò essentiali conceptu positivi: esse autem jus;

*E 3 positi-

positivam qualitatem, communis apprehensio confirmat, & ratio inter alias, quia sequeretur ly *sine jure*, esse quid positivum, utpote negationem negationis, ly autem *sine jure*, non est quid positivum; aliàs negatio ipsa, in ipso sine, (seu *non cum*) inclusa, esset quid positivum. Tum quia, jus est quasi concretum, cujus concreti constitutiva, habentiaque se per modum prioris, sunt prædicata, & partes definitivæ juris, designatio autem juridica, non est talis, cum pro illo priori, quo deberet antecedere jus, jam supponeret jus, à quo juridica denominatur. Tum quia, termini in physicis, eorumque designatio, facit, ne ulterius aliquid extendatur; hoc autem quod sit aliquid tantum, potius habetur ab entitate positiva quanti. Ergo etiam & designatio juridica terminorum libertatis, potius debet à nobis concipi quasi faciens, quare ulterius non habeatur jus. Ergo, dandus est alius conceptus hujus formalitatis, quæ est habere ad hoc jus.

DIFFICULTAS III.

Impugnantur aliorum Explicationes.

EXPLICAT I. Lugo. Sect. I. n. 5. Quod jus, quod respicitur à justitia, & ponitur in ejus definitione, sit Prælatio quædam moralis, quæ hic homo præfertur moraliter aliis, in usu talis rei, propter peculiarem connexionem, quam res habet cum eo, v. g. fera habet peculiarem connexionem cum eo, à quo capta est, si autem Dominus det illam alteri, jam fera habebit peculiarem connexionem cum hoc secundo, quatenus donator transulit moraliter in eum connexionem, quam ipse habebat ratione capturæ.

Hæc explicatio

NON SATISFACIT I. Quia per idem ad idem respondet. Si enim quæram, quid est jus? respondetur, prælatio moralis ad hoc habendum, interrogo, hæc prælatio potest esse non justitialis? per quid constituitur in ratione justitialis? respondetur, per hoc, quia habet prælationem connectentem illam rem in bonum ipsius habentis prælationem. Quæro, potest haberi illa connexio, & non esse justitialis, cur non enim? per quid ergo constituitur in ratione justitialis connexionis? recurrereque debet ad jus, adeoque idem per idem explicabis.

NON SATISFACIT 2. Quia, ut communiter urgetur, invenit Paulus rem Petri, uterque habet connexionem cum re in bonum proprium, peccaretque contra justitiam, qui Paulo illam surriperet; & tamen Paulus respectu Petri, non habet jus; inquiri, quare? quia non habet prælationem, quæro hic titulo inventionis habita in re, quæ erit ratio discernendi has prælationes & connexiones? illaque si erit legiti-

ma; erit quæsitum illud jus. Urget item Esparza, q. 2. non rectè definiretur homo, quod sit animal præferibile brutis, sed esset ostendenda radix illius prælationis. Ergo & in præsentem idem præstandum.

NON SATISFACIT 3. Pensemus has duas causales. Ideò habet prælationem, & connexionem in re in suam utilitatem, quia habet jus. Ideò habet jus, quia habet prælationem. Hæc posterior causalis, importat aliquid simile ei, ideo est homo, quia est risibilis, rationali illa propositione, utrobique aliquid posterius inferente. Struatur item imaginatio, quod unum istorum sit emanativum physicè, & aliud emanabile physicè, certè non jus ex prælatione emanaret; sed ex jure prælatio. Sicut prælatio non emanat dignitatem: sed prælationem dignitas, hinc ideo aliquis præfertur: quia est dignus. Quod si prælatio illa & connexio, est quid posterius jure, non potest esse definitiva juris: quia hic quæritur de definitivo, per prima.

ADD O. In dominio duorum in eodem instanti, de quo postea, non posse ostendi prælationem.

EXPLICATUR 2. communiter post Less. quod jus sit legitima potestas, ita aliquid exigens, ut si absque debita causa illi contraveniatur, injuria inferatur. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia. Nomine legitime potestatis venit juridica potestas, non quæcunque de hoc autem ipso quæritur, quid sit ista juridica, quid legitima potestas? Tum quia, malè describitur, jus est legitima potestas exigendi, cui si contraveniatur, fiat contra jus. Ergo etiam, cum explicatur per injuriam non rectè procedetur: quia injuria nihil aliud est, quam oppositio ad jus. Et sicut calor non rectè explicatur, per non frigere oppositum; ita & in præsentem. Tum quia. Nulla unquam est debita causa contraveniendi juri, & si habetur hæc causa, jam saltem protunc, non est illud jus. Ergo, immeritò mentio fit contraventionis juri, absque debita causa.

RESPONDEBIS. Nomine injuriæ non venire formalitatem contrariam juri, sed inæqualitatem, trahentem secum obligationem restituendi, vel certè læsionem aut diminutionem in suo.

CONTRA est. Quia si quærat, hæc ipsa obligatio restituendi, unde trahatur? nihil aliud respondebitur, nisi quia est contra jus. Ergo, à primò ad ultimum, jus erit legitima potestas, cui contraventio, est contraventio contra jus.

Concedo quidem, quod responsio per definitionem non debeat esse per aliquid distinctum, debet tamen esse per clarius, quod hic non servatur.

EXPLI-